1513

Morbio 24 (93) bis

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex: Dux Mediolani etc: Universis et singulis presentes litteras inspecturis Salutem. Cum inter cetera que precipue observanda semper censuimus illud potissimum perpetuo custodiverimus ut munificentia et gratia eos complecti studeremus quorum erga nos fidem et devotionem non levibus verum argumentis exploratam haberemus, nec ullatenus pateremur ut subditorum nostrorum quispiam frustra de nobis benemeritus videretur. Non immemores impresentia qualem se continuo erga nos gesserit Benedilectus et fidelis noster Comes Ioannesantonius Cavatius de Somalia, quippe qui a tempore quo primum ducatum nostrum Mediolani recuperavimus in hunc usque diem ab eis que optimus quisque et fidelissimus prestare debet, nunquam vel minimum declinaverit, quin etiam semper, et in hac presertim proxima eiusdem Ducatus revolutione, fidelissime et devotissime, ut est animo nobilissimo et integerrimo, perseveravit, sperantes preterea ab eo non minora neque minus grata imposterum recipere, facile ad id quod eius nomine a nobis humiliter petitum est concedendum descendimus. Certiorati itaque de donatione, quam dictus Comes Ioannesantonius anno proximo fecit Benedilecto et fideli nostro Comiti Francisco eius legittimo et naturali filio emancipato de infrascriptis locis qui in feudum predicto Comiti Ioanniantonio alias concessimus: Humiliterque rogati, ut donationem predictam approbare dignaremur. Harum tenore motu proprio, et ex certa scientia, omnia et singula feuda, sive omnes et singulas concessiones feudales, olim tam per nos quam etiam per quoscunque predecessores nostros Duces Mediolani quocunque titulo predicto Comiti Ioanniantonio et eius predecessoribus factas de castris oppidis Terris et villis Somalie, Sene veteris, Castrinovi, Ronchalie, Orii, Sancti Martini Hospitaleti, Linerage et pertinentiarum territorii Laudensis, Rossi et Cañevagi territorii ducatus seu Civitatis Mediolani, ceterorumque omnium et singulorum locorum, que pro premissis haberi volumus et intendimus, ubicunque existentium, unacum omnibus suis iuribus iurisdictionibus adherentiis et pertinentiis quibuscunque qualibetcunque, et quantiscunque, pro portionibus et quotis predictarum concessionum in personam predicti Comitis Francisci iuxta tenorem predicte donationis paterne in eum facte, cuius tenoris plenam et omnimodam scientiam habemus: approbamus et confirmamus, et quatenus expediat de novo damus concedimus et elargimur, pro ipso Comite Francisco suisque in futurum descendentibus masculis legitimis et naturalibus, eisque deficientibus, pro legittimis ac naturalibus agnatis masculis, salva gradus prerogativa: et in omnibus et per omnia, prout in predictis litteris privilegiis et concessionibus, tam nostris quam predictorum predecessorum nostrorum quocunque titulo super hiis alias confectis et concessis continetur, pro expressis haberi, et haberi volentes omnem dictarum litterarum privilegiorum et concessionum tenorem, omniumque et singulorum in eis et eorum quibuslibet contentorum non secus, ac si de verbo ad verbum singula presentibus in litteris forent repetita: ac parimodo predictam Donationem paternam, omniaque et singula in ea contenta motu proprio, et ex certa scientia approbamus ratificamus ac confirmamus, pro expressis habentes ut supra quidquid in ea continetur. Mandantes propterea ac specialiter iniungentes Benedilecto et fideli nostro Cancellario Senatus nostri Mediolani, quandocunque per nos deligendo et deputando, ut ad omnem predicti Comitis Francisci vel cuiusvis pro eo legittime intervenientis requisitionem ipsum Comitem Franciscum vel quemvis pro eo legittime intervenientem eius nomine, de predictis omnibus et singulis terris et locis cum iuribus et pertinentiis, et pro portionibus et quotis ut supra, inherendo, easque removendo investituras, alias tam nostro nomine quam predictorum predecessorum nostrorum, predicto Comiti Ioanniantonio et eius predecessoribus factis. Recepto a dicto Comite Francisco vel quovis pro eo legittime interveniente debito et in similibus consueto fidelitatis iuramento, omni exceptione remota, pro se se et descendentibus et agnatis ut supra solenniter investiet, prout et nos tenore presentium ex nunc investimus, et pro solemni investito haberi volumus et intendimus. Dantes proinde ac concedentes plenam liberam et omnimodam licentiam facultatem potestatem et libertatem predicto Comiti Francisco, et quibuscunque pro eo legittime intervenientibus, predictorum omnium et singulorum locorum cum iuribus et pertinentiis pro portionibus et quotis ut supra, tenutam et possessionem virtute predictarum litterarum privilegiorum et concessionum, necnon presentis confirmationis et concessionis propria auctoritate, et absque cuiusvis alterius auctoritate et licentia, etiam per manum si opus fuerit militarem aprehendende, aprehensamque tenendi continuandi ac deffendendi contra quoscunque cuiuscunque status gradus, ac conditionis existant. Porro quia omnino volumus presentem confirmationem et concessionem, omniaque et singula in eis contenta executioni ad unguem ut iacent omnino mitti, ad tollendas omnes difficultates ambiguitates, exceptiones et dilationes, que quandoque oriri possent: Harum ipsarum serie ex certa scientia motu proprio, et de absolute potestatis plenitudine, supplemus omnes et singulos qui dici et excogitari possent defectus quibus suprascripta, et precipue predicta Investitura fienda: et hec nostra hisce in litteris comprehensa Investitura laboraret seu laborare fortassis diceretur. Mandantes et districte precipientes omnibus et singulis benedilectis et fidelibus nostris, Generali ultra montes. Locumtenenti Cancellario Senatus Mediolani ipsi Senatui, Generalibus quibuscunque, Magistris Intratarum tam extraordinariarum quam ordinariarum, omnibusque et singulis officialibus, tam presentibus quam futuris, ac ceteris subditis nostris quibuscunque, ut huius nostre confirmationis et concessionis omniumque et singulorum in eis contentorum tenorem inviolabiliter et ad unguem, ut iacet observent, et observari faciant: non obstantibus quibuscunque legibus constitutionibus decretis statutis et ordinationibus tam regalibus quam ducalibus, tam factis quam faciendis, et aliis quibuscunque, que dici et excogitari possent: Quibus omnibus et singulis ex certa scientia motu proprio et de absolute potestatis plenitudine derogamus et derogatum esse volumus et intendimus. etiam si talia forent de quibus specialem et individuam fieri mentionem opporteret, ac etiam si clausulis quibusvis derogatoriis et validissimis essent roborata pro expressis habentes et haberi volentes omnia et singula que exprimi opporteret: Salvo tamen in premissis iure nostro et cuiuslibet tertii ius fortassis pretendentis. In quorum testimonium presentes fieri, nostrique sigilli robore muniri iussimus: Datum Blesis xvj mensis aprilis anno domini Millesimo quingentesimo decimo tertio: et regni nostri decimosexto. Subscripta: Per Regem Ducem Mediolani Robertet. Visa: Cum sigillo regio magno pendenti in cera viridi cum cordula rubea et viridi

Concordat hoc exemplum cum originali: et ideo
pro fide subscripsimus

Julius ... Al: Schiffus ... Princivallus

1513. 16. Aprilis

Privilegium concessum per S[ere]n[issimu]m Regem Lud[ovicu]m Francorum Regem Ill[ustri] co[m]iti Scrivalie cum approbatione D[omi]ni Fr[ancis]ci Co[miti] Fran[cis]co facte p[er] Ill[ustrem] Co[mitem] Jo[hannem] Ant[oniu]m eius genitorem

X

Morbio 24 (93) bis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1878908286-18/fragment/page=0002